

*Nobilitate ac dignitate amplissimo Viro,*

D. ABELI COENDERS

AB HELPEN,

Domino in EVSVM, toparchæ in MIDDELSTVM,

FAEN, CANTES, &c. reip. Groninganae

Consuli prudentissimo,

*Domino suo plurimo colendo.*



VANTA eruditionis sit vis ac præstantia, Mæcœnas nobilissime ac amplissime, & literatus vir illiterato quantum interfit, sæpè à viris magnis est demonstratum, & dictum quoque à me in præfatione, quam universo operi chronologico præfixi. Quantum verò id discrimen est, tantum

ferè dixerim differre in alijs disciplinis eruditos, & simul historiæ cognitione imbutos, ab iisdem illis, sed historiæ cognitione expertibus. Theologos dico, jurisperitos, medicos, philosophos. Theologus enim etiam si disputando & acutè disserendo lauream facultatis suæ sit adeptus, tamen si historiam ecclesiæ & certaminum ejus ignoret, imò si nesciat, quæ extra ecclesiam jam olim ac nuper sint acta, quanto ad sustinendam personam suam, & tuendam existimationem destituetur præsidio? Res docet, ut verbis heic non sit opus. Idem de jurisconsulto est verissimum. Quomodò enim jus Romanum rectè intelliget, aut quomodo id alios docebit, qui antiquitatum Romanarum est ignarus? aut in gerendâ rep. curandisve regum ac principum negocijs quomodò versabitur utiliter & cum laude, qui quid olim, quid nuper actum sit, quis fuerit aut sit regnorum rerumque publicarum non solùm apud nos, sed etiam procul nobis status ac fortuna, haud tenet, qui

EPISTOLA DEDICAT.

qui consilia consiliorum eventa præterita non novit? In medico forsan dixeris, & physico ac mathematico rerum præteritarum notitiam non esse necessariam: fuerit tamen ei turpe sine dubio, hac scientiâ carere, ac inter pueros iudicio M. Ciceronis censeri. Philosophus autem, præsertim is, qui doctrinam de moribus, & eam, quæ de optimo reip. statu, de diversis ejus formis, de singularium commodis & incommodis, de mutatione, ortu, occasu, ac similibus agit, profiteretur, quid quæso magni potest præstare, si exemplorum variorum copiam non habuerit in promptu, & omnigenæ historiæ cognitione fuerit destitutus? Accidet opinor ei, quod homini cæcutienti, qui putans videre se rectè rerum species, haud quaquam tamen eas rectè comprehendit, sed hallucinatur erratque. Verùm mitto hæc. Venio ad id, quod proprium est consilij & propositi mei præsentis. Cùm historia omnis cognitu perutilis est, tum viro politico & philosopho post sacram Romana est longè utilissima. Romani quippe prudentiâ, fortitudine, justitiâ, temperantiâ, optimis denique institutis plurimum populis cæteris, quos profanos censemus, ad societatem scilicet Israëlitis non pertinentes, præstitere. Et soli penè plura illustria exempla edidère ad formandos animos eorum, qui in re publicâ privatâque gerendâ versantur, quam reliquæ gentes omnes. Præterea iidem jus condiderunt tam æquum, plenumque sapientiâ, ac institutis usi sunt tam insignibus & egregijs, ut cum aliarum gentium legibus ac institutis comparata non secus ea, ac Sol minora sidera, obscurent. Vndè fit, ut, destructo jamdudum eorum imperio, jura tamen & instituta Romana apud plurimos populos & nationes maximo adhuc in pretio habeantur, imò à multis etiam nunc observentur colanturque. Usus enim ipse docet, nihil ijs esse æquitati ac rectæ rationi magis consentaneum. Ad hæc res eorum non subito, ac uno quasi fortunæ impetu, quod quibusdam principibus ac gentibus accidit, maxi-

EPISTOLA DEDICATA.

maximæ sunt factæ, sed sensim à parvis inijs creverunt, donec ad eam magnitudinem & claritudinem pervenire, quæ meritò mentes gentium aliarum omnium aut timore percelleret, aut fulgore perstringeret, aut admiratione ac veneratione in sese verteret. Nec verò ea magnitudo cum claritudine repentè rursus concidit, quemadmodum citò natis solet ferè evenire, ut citò quoque pereant, sed duravit diutissimè, ut post Assyriorum illud imperium, cujus tempora chronologi nobis solummodò appendunt, & regum plurimorum nomina tantum, non facta, non status aut fortuna nobis nota sunt, nullum imperium fuerit diuturnius, quamquam ingentes mutationes passum. Quibus hoc quoque accedit, quod ob augustum populi hujusce nomen in ejusdem nominis confortium libentes concesserint, eoque se jactarint non paucæ gentes à sanguine Romano alienæ: ut Thraces, Macedones, Græci, Epirotæ, Illyrij, Dalmatæ, Bithyni, Phryges, alijque in Asiâ minore in Euphratem fl. usque, post imperij sedem alteram Byzantij, deindè etiam Trapezunte collocatam: ne quid de Italis, Germanis, Gallis post instauratum in Occidente imperij decus à Francis dicam. Quid, quòd Romanæ linguæ usus crescente potentiâ tam latè se propemodùm diffuderit, ut iisdem penè finibus cum ipso imperio fuerit terminatus. Ob hanc gentis huius, & historiæ ejusdem præstantiam operæ me pretium facturum putavi, si his chronologicis studijs intentus peculiare systema conficerem, separatum à systemate chronologiæ universæ, in quo tempora & res Romanas præcipuas per annos expansos digererem, & quasi oculis lectorum, ac historiæ studiosorum subijcerem, quodque esse posset historiæ Romanæ integræ, aut materiæ eius quædam dispositio. Id igitur aggressus, ut in universo canone chronico feci, sic hîc quoque singulas paginas aut paginarum lineas in annos xx divisi: lineis porrò paginas primas xiii distinxî in columnas duas, quarum

EPISTOLA DEDICAT.

priorem rebus Romanis durante imperio regio, alteram pauculis peregrinis ad demonstrandam connexionem deputavi: reliquas omnes paginas ad systematis finem in columnas tres distribui. Harum prima seriem perpetuam consulum & magistratum, qui pro consulibus remp. domi forisque administrarunt, sortita est, fastos consulares representans: altera & tertia rebus domi ac foris à civitate gestis tributa, ac tertia quoque hic illic externa quaedam inserta, Romanis in latere ad dexteram apposita ob eandem causam: adjectaque sunt extra hanc columnam ad dextram nomina *δέχοντων* Atticorum *ἐπωνύμων* in paginis plus minus x, quæ instar fastorum civitatis eius esse possunt. Lineis in hoc quoque systemate, ut in canone chronico, numeros adjeci decimo quoque anno ad signanda tempora: quorum primus à sinistrâ extra columnam annos urbis Romæ conditæ signat, alter proximè sequens inter duas lineas annos periodi Iulianæ à Scaligero constructæ, tertius, qui solus non decimo, sed quarto cuique anno adscriptus est, Olympiades Græcas. Quartus demum, qui aliquot paginis post medium systematis primùm incipit, & extra columnam lineæ dextimæ adhæret, annos æræ Christianæ vulgaris representat. Totum systema incipit ab Olympiadum Iphitearum principio, cui proximè succedit conceptus Romuli terribili Solis *ἐκλείψει* signatus, pertinens ad Olympiadis primæ annum secundum; post quem Roma à Romulo condita anno quasi xix, qui erat annus tertius Olympiadis sextæ secundum Varronem: finit mox post finem fastorum consularium circiter annum æræ Christianæ DCXLIII. Complectitur in universum annos circiter MCCCC. Præter alia verò acta & eventa memoratu digna notavi in systemate mutationes in rep. præcipuas, magistratum novorum, ut quæstorum, præfectorum urbis, consulum, dictatorum, tribunorum plebis, X-virorum, tribunorum militarium conf. pot., censorum, præto-

EPISTOLA DEDICATA.

prætorum, ædilium utriusque generis, item sacerdotiorum quorundam exortus, tribunitiæ potestatis, quæ consulari potissimum opposita fuit, incrementa, tribunorum, prætorumque numerum auctum, illorum certamina cum consulibus & totorum ordinum cum ordinibus: addidi novas aut repetitas leges celebriores, & ad remp. pertinentes; quales sunt agrariæ, sumptuariæ, annales, iudiciariæ, de connubiis plebeiorum cum patritiis, de magistratibus maioribus cum plebeis hominibus communicandis, de ambitu, de suffragiis, de criminibus publicis ac privatis: adieci & instituta potiora, ordines distinctos, senatum introductum, & auctum, equites etiam à reliquâ plebe disinctos pauciore primùm numero, dein plures factos; populum omnem in curias & tribus divisum, censum institutum, eius causâ eundem populum in classes distributum secundum opum modum, classes porrò in centurias dissectas comitiorum gratiâ, comitia alia atque alia usurpari cæpta, curiata, tributa, centuriata. Demùm bellorum illustrium initia ac fines, exordium monarchiæ Romanæ, imperatorum ortus successionesque suis locis signavi. Hunc laborem meum in publicum nunc cum reliquo opere chronologico exeuntem nobilissimo nomini tuo inscripsi, Mæcenas multis nominibus mihi colende, ut hoc quoque meæ erga te observantiæ, quam non solum aliis virtutibus tuis eximiis, sed etiam singulari constantique in me & meos benevolentiam ac beneficentiam mereris, testimonium extaret perpetuum. Etenim quamvis eò fastigij conscenderis, ut ex omnibus tuis conterraneis (absit dicto invidia) nemo dignitate ac auctoritate tecum certare ausit, ne dum superare possit, tamen tantâ es humanitate ac modestiâ, quæ omnium cæterarum virtutum maximum est ornamentum, ut in nullo te efferas, omnibus qui loco aliquo honesto sunt, parem te geras, me etiam fortunâ & honore multum impari amicitiam tuam digneris. Cùmque prudentia valeas tanta, quantam tibi per biennium in amplissimo

senatu

EPISTOLA DEDICAT.

• senatū ordinum, per annos XIII continuos in summo generalium ordinum foederatorum collegio Hagæ in ipsa societatis communis sede remp. gestam necesse est dedisse, præsertim à naturâ ingenio valenti, tamen ita agis, ut nullius consilium, in quo aliquid modò ingenij, aut rerum usus sit, videaris contemnere. Simillimus ubique nobilissimo atque optimo fratri tuo FRIDERICO COEND. tenatu majori, consuli reipub. huius laudatissimo, beneque de me privatim quoque merito, & amico meo summo, qui fato nobis anno superiore creptus *εὐφηνίαν*, & sui desiderium bonis omnibus in hac civitate reliquit. Te verò *αεὶσφώνησιν* hanc benignè esse accepturum, ac boni consulturum, librumque ipsum patrocínio tuo commendatum habiturum, solitamque erga me benevolentiam conservaturum non spero solum, sed etiam planè confido. Vale sæliciter reip. nostræ præcipuum decus. Groningæ die VI Kal. Augusti Iuliani, anno æræ Christianæ M. DC. XIX, ætatis meæ LXXII ex Nonis Decemb. Iulianis.

Ampl. tuæ observantis,

V B B O E M M I V S .

IN CHRO.